

saltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum casus humani, quando dictum est ad Adam: « Morte morieris, si tetigeris. » Et venit de transverso serpens, et dixit: « Non morte morieris. » Creditus est serpens, contemptus est Deus: creditus est serpens, tactum est vetitum, mortuus est homo¹. Nonne impletum est potius quod minatus est Deus, quam quod promiserat inimicus? Sic est certe: agnoscimus hoc; inde omnes in morte: jam vel experti cauti simus. Non enim cessat et modo serpens insurrare, et dicere: Numquid vere damnaturus est Deus tantas turbas, liberaturus est paucos? Quid est aliud quam, Facite contra præceptum, non moriemini? Sed quomodo tunc, sic et nunc. Si feceris quod suggerit diabolus, et contempseris quod præcepit Deus; veniet iudicii dies, et invenes verum quod minatus est Deus, et falsum quod pollicitus est diabolus. « Exurge, Domine, judica causam meam. » Mortuus es, et contemptus es; « dicitur mihi: Ubi est Deus tuus? Exurge, judica causam meam. » Non enim venturus est ad iudicium, nisi qui exurrexit a mortuis. Venturus prænuntiabatur, venit, et contemptus est a Judæis ambulans in terra; contemnitur a falsis Christianis sedens in cælo. « Exurge, Domine, judica causam meam. » Quoniam in te credidi, non peream; quia credidi quod non vidi, spe mea non fallar, accipiam quod promisisti. « Judica causam meam. Memento opprobriorum tuorum, eorum quæ ab imprudente sunt tota die. » Adhuc enim insultatur Christo: nec deerunt tota die, hoc est usque in finem sæculi, vasa iræ. Adhuc dicitur: Vana prædicant Christiani; adhuc dicitur: Inanis est resurrectio mortuorum. « Judica causam meam: memento opprobriorum tuorum. » Sed quorum, nisi « eorum quæ ab imprudente sunt tota die? » Numquid

¹ Gen. ii, 17, et iii, 4, 6 et 19. — ² Psal. xli, 4 et 11.

prudens hoc dicit? Prudens enim dictus est, porro videns. Si prudens porro videns, fide videtur porro: nam oculis vix ante pedes videtur. « Tota die. »

XXVI. « Ne obliviscaris vocem deprecantium te, » Ingemiscentium et expectantium jam quod promisisti de Novo Testamento, et ad ipsam fidem ambulantium, « Ne » obliviscaris vocem deprecantium te. » Sed illi adhuc dicunt: Ubi est Deus tuus? « Superbia eorum qui te ode- » runt, ascendat semper ad te¹. » Noli et eorum superbiam oblivisci. Nec obliviscitur: omnino aut punit, aut corrigit.

ENARRATIO

IN PSALMUM LXXIV.

Sermo ad plebem.

I. PSALMUS iste tumori superbiæ medicinam humilitatis apportat; humiles autem consolatur in spe: hoc agens, ut ne quisquam superbe de se præsumat, ne quisquam humilis de Domino desperet. Est enim promissio Dei rata, certa, fixa et inconcussa, fidelis et omni dubitatione carens, quæ consolatur afflictos. « Tota enim vita humana » super terram, sicut scriptum est, tentatio est². » Neque quasi prospera eligenda est, et sola adversa devitanda; sed utraque cavenda est; illa, ne corrumpat; ista, ne frangat: ut unicuique hominum, in quocumque statu rerum in hac vita egerit, non sit refugium nisi Deus, nec ullum gaudium nisi in promissis ejus. Vita enim hæc qualibet

¹ Psal. lxxiii, 23. — ² Job. vii, 1.

redundans felicitate multos fallit, Deus neminem. Quia ergo omni hominī converso ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciae: non enim subtrahuntur, sed mutantur: omnes autem deliciae nostrae in hac vita, nondum sunt in re; sed ipsa spes tam certa est, ut omnibus hujus saeculi diliciis praeponeunda sit, sicut scriptum est: « Delectare in Domino. » Et ne putares te jam habere quod promittit, subjecit statim, « Et dabit tibi petitiones cordis tui¹. » Si ergo nondum habes petitiones cordis tui, unde delectaris in Domino, nisi quia tenes certum promissorem, qui se effecit promittendo debitorem? Hujus igitur deprecationis ut permaneat nobiscum spes nostra, et introducatur in id quod promisit Deus, loquitur titulus hujus Psalmi: « In finem, ne corrumpas. » Quid est, ne corrumpas? Quod promisisti, exhibe. Sed quando? « In finem. » Illuc ergo mentis oculus dirigatur, « In finem. » Omnia quae in via occurrerint, transeantur, ut perveniatur in finem. Exultent superbi de praesenti felicitate, tumeant honoribus, fulgeant auro; redundant famulis, obsequiis clientium constipentur: praetereunt ista, transeunt tanquam umbra. Cum ille finis venerit, ubi omnes qui modo in Domino sperant gaudeant, tunc illis veniet sine fine tristitia. Quando acceperint humiles quod irrident superbi, tunc superborum typhus convertetur in luctum. Tunc erit illa vox, quam in libro Sapientiae novimus: dicent enim tunc videntes gloriam sanctorum, qui cum hic humiliarentur, toleraverunt; qui cum hic sublimarentur, non annuerunt; tunc ergo illi dicent: « Hi sunt quos aliquando habuimus in risum. » Ubi etiam dicunt; « Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra². » Quia de corruptibilibus praesumpserunt, spes

¹ Psal. xxxvi, 4. — ² Sap. v, 3, 8 et 9.

eorum corrumpetur: nostra vero spes tunc erit res. Promissio enim Dei ut maneat integra et firma et certa erga nos, diximus ex corde fidei: « In finem ne corrumpas. » Noli ergo timere, ne promissiones Dei corrumpat aliquis potentium. Ipse non corrumpit, quia verax est; potentio-rem non habet a quo ejus promissio corrumpatur: certi ergo simus de promissis Dei; et cantemus jam, unde incipit Psalmus.

II. « Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum¹. » Noli antequam confitearis invocare: confitere, et invoca. Illum quippe quem invocas, in te vocas. Quid est enim invocare, nisi in te ipsum vocare? Si invocatur a te, id est, si vocatur in te, ad quem accedit? Ad superbum non accedit. Certe altus est, non eum attingit elatus. Omnia sublimia ut contingamus, attollimus nos; et si attingere non possumus, machinamenta aliqua vel scalas quaerimus, ut sublimati sublimia contingamus: contra Deus, et altus est, et ab humilibus contingitur. Scriptum est: « Prope est Dominus his qui obtriverunt cor². » Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, ut illum habeat propitium: se habeat iratum, ut illum habeat defensorem. Ergo invocatus Deus venit. Ad quem venit? Ad superbum non venit. Audi aliud testimonium: « Excelsus Dominus, et humilia respicit; excelsa autem a longe cognoscit. Excelsus Dominus et humilia respicit non a longe; excelsa autem a longe cognoscit³. » Et ne forte cum dictum esset, quia humilia respicit, superbi de impunitate gauderent, quasi eos superbientes non agnoscat qui in excelsis habitat; territi sunt, et dictum est eis: Videt vos, et cognoscit vos, sed a longe. Hos facit beatos, quibus propinquat: vos autem, inquit, o superbi, o ex-

¹ Psal. lxxiv, 2. — ² Id. xxxiii, 19. — ³ Id. cxxxvii, 6.

celsi, non eritis impuniti, quia cognoscit; non eritis beati, quia a longe cognoscit. Videte ergo quid agatis: quia si agnoscit, non ignoscit. Melius ergo ignoscit, quam agnoscit. Quid est enim ipsum ignoscere, nisi non noscere? Quid est non noscere? Non animadvertere. Nam et vindicantis solet dici animadversio. Audi orantem ut ignoscat: « Averte » faciem tuam a peccatis meis¹. » Quid igitur facies, si averterit faciem suam a te? Molestum est, et timendum ne deserat te. Rursus si faciem non avertit, animadvertit. Novit hoc Deus, potest hoc Deus, et avertere faciem a peccante, et non avertere a confitente. Itaque alibi ei dicitur: « Averte faciem tuam a peccatis meis: » et alibi ei dicitur, « Ne avertas faciem tuam a me²: » ibi, « A peccatis meis » averte: » hic autem, « A me noli avertere. » Confitere ergo, et invoca. Confitando enim mundas templum, quo veniat invocatus. Confitere, et invoca. Avertat faciem a peccatis tuis, non avertat a te: avertat faciem ab eo quod tu fecisti, non avertat ab eo quod ipse fecit. Te enim hominem ipse fecit, peccata tua ipse fecisti. Confitere ergo, et invoca; dic: « Confitebimur tibi, Deus, » confitebimur tibi. »

III. Ipsa repetitio, confirmatio est, ne te confessum esse poeniteat. Non enim alicui crudeli confessus es, non ultori, non insultatori: confitere securus. Audi aliam vocem Psalmi adhortantem: « Confitemini Domino, quoniam bonus est³. » Quid est, « Quoniam bonus est? » Quid timetis confiteri? Bonus est, ignoscit confitenti. Time confiteri iudici homini, ne forte confessum puniat: Deo noli: fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium. « Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, » et securi jam invocabimus nomen tuum. » Exhaustimus corda nostra confessione, terruisti, mundasti. Confessio

¹ Psal. L, 11. — ² Id. xxvi, 9. — ³ Id. cv, 1, cvi, 1 et cvii, 1.

nos humiles facit: propinqua humilibus, qui recedis ab excelsis. Firmamentum autem esse sententiæ in repetitione, multis Scripturarum locis docemur. Inde est quod Dominus ait: « Amen, amen¹. » Inde in aliquibus Psalmis, « Fiat, fiat². » Ad significationem rei sufficeret unum fiat: ad significationem firmitatis accessit alterum fiat. Rex Ægypti Pharaon, nostis quod cum ibi jam esset Joseph propter pudicitiae amorem inclusus in carcere, vidit somnium idem Pharaon notum omnibus nobis, a septem maribus consumptas esse septem boves pingues, et rursus a septem spicis exilibus consumptas esse septem foecundas. Et quid est interpretatus Joseph? Si meministis, non duo sunt ista somnia, sed visum unum. « Una est, inquit, interpretatio eorum: sed quod rursus vidisti, ait, ad » confirmationem valet³. » Hæc dixi, ut non putetis repetitionem in verbis sanctæ linguæ, quasi loquacitatis esse appetitum. Sæpe ibi repetitio firmamenti habet vim. « Paratum cor meum, Deus, inquit, paratum cor meum⁴. » Alio loco dicit: « Sustine Dominum, viriliter age, et con- » fortetur cor tuum, et sustine Dominum⁵. » Innumera- bilia talia sunt per omnes Scripturas. His sufficit commendasse nos vobis loquendi genus, quod observetis in omnibus similibus: modo ad rem advertite: « Confite- » bimur tibi, inquit, et invocabimus. » Dixi quare ante invocationem præcedit confessio: quia quem invocas, invitas. Venire autem non vult invocatus, si tu fueris elatus: elatus si fueris, confiteri non poteris. Nec ea negas Deo quæ nescit. Itaque confessio tua non illum docet; sed te mundat.

IV. Et jam confessus est, invocavit: imo confessi sunt, invocaverunt; et dicitur ex persona unius: « Enarrabo

¹ Joan. 1, 51. — ² Psal. LXXI, 19, et LXXXVIII, 53. — ³ Gen. xli, 3 et 32. — ⁴ Psal. LVI, 8. — ⁵ Id. xxvi, 14.

» omnia mirabilia tua. » Confessus exinanivit se malis, invocans implevit se bonis; enarrans eructavit quo se implevit. Et videte, fratres, cum confiterentur, multi erant: « Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum. » Multa enim sunt corda confitentium, unum credentium? Diversa enim peccata homines confitentur, unam fidem credunt. Jam ergo cum cœperit Christus habitare in interiore homine per fidem¹, cœperitque invocatus possidere confessum; fit totus Christus caput et corpus, et ex multis unus. Audite jam verba Christi. Nam quasi non ejus verba videbantur: « Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum². » Jam incipit ex persona capitis sermo. Sive autem caput loquatur, sive membra loquantur, Christus loquitur: loquitur ex persona capitis, loquitur ex persona corporis. Sed quid dictum est? « Erunt duo in carne » una. Sacramentum hoc magnum est: Ego, inquit, » dico in Christo et in Ecclesia³. » Et ipse in Evangelio, « Igitur jam non duo, sed una caro⁴. » Nam ut noveritis has duas quodam modo esse personas et rursus unam copulatione conjugii, tanquam unus loquitur apud Isaïam, et dicit: « Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut » sponsam induit me ornamento⁵. » Sponsum se dixit ex capite, sponsam ex corpore. Loquitur ergo unus, audiamus eum, et in eo nos quoque loquamur. Simus membra ejus, ut hæc vox et nostra esse possit. « Enarrabo, inquit, » omnia mirabilia tua. » Evangelizat Christus se ipsum, evangelizat se etiam in membris suis jam existentibus, ut et alios adducat, et accedant qui non erant, et copulentur membris ejus, per quæ membra ejus prædicatum est Evan-

¹ Ephes. III, 17. — ² Psal. LXXIV, 2. — ³ Gen. II, 2, et Ephes. V, 31, 32. — ⁴ Matth. XIX, 6. — ⁵ Isaï. LXI, 10.

gelium; et fiat unum corpus sub uno capite, in uno spiritu, in una vita.

V. Et quid ait? « Cum accepero, inquit, tempus, ego » justitias judicabo¹. » Quando judicabit justitias? Cum acceperit tempus. Nondum est ipsum tempus. Gratias misericordiae ejus: prius prædicat justitias, et sic judicat justitias. Nam si ante vellet judicare quam prædicare, quis inveniretur liberandus? quis absolvendus occurreret? Modo ergo prædicationis tempus est: « Narrabo, inquit, omnia mirabilia tua. » Audi narrantem, audi prædicantem: nam si contempseris: « Cum accepero tempus, inquit, ego justitias judicabo. » Dono, inquit, nunc peccata confitenti, non parcam postea contemnenti. « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine²: » dicitur in Psalmo. « Misericordiam et judicium: » modo misericordiam, postea judicium, in qua misericordia peccata donantur, in quo judicio peccata puniuntur. Vis non timere peccatorum punitorem? Ama donatorem, noli respicere, noli te extollere, noli dicere: Non habeo quod mihi donet: audi enim quod sequitur: « Cum accepero » tempus, ego justitias judicabo. » Accepit tempus Christus? Accepit tempus Filius Dei? Filius Dei non accepit tempus: sed filius hominis accepit tempus. Idem ipse autem et Filius Dei per quem facti sumus, et filius hominis per quem reffecti sumus. Homine assumpto, ipse non assumptus; homine mutato in melius, nullo modo ipse in deterius commutatus: non destitit esse quod erat, sed accepit quod non erat. Quid erat? « Cum in forma Dei esset, » non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. » Apostoli verba sunt. Et quid accepit? « Sed semetipsum exinanivit » formam servi accipiens³. » Sicut formam servi accepit, ita et tempus accepit. Demutatus est ergo? deminutus est?

¹ Psal. LXXIV, 3. — ² Id. c, 1. — ³ Philip. II, 6, 7.

exilior redditus? in defectum lapsus? Absit. Quid ergo : « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens? » Exinanisse se dictus est accipiendo inferiorem, non degenerando ab æquali. Ergo, fratres, quid est hoc : « Cum » accepero tempus, ego justitias judicabo? » Accepit tempus ut filius hominis : gubernat tempora ut Filius Dei. Audi quia ut filius hominis accepit tempus judicandi. Dicit in Evangelio : « Dedit ei potestatem judicii faciendi, » quoniam Filius hominis est¹. » Secundum quod Filius Dei, nunquam accepit potestatem judicandi; quia nunquam caruit potestate judicandi : secundum quod filius hominis, accepit tempus sicut nascendi et patiendi, sicut moriendi et resurgendi et ascendendi, ita veniendi et judicandi. Dicit in illo ista et corpus ejus : non enim sine illis judicabit. Dicit quippe in Evangelio; « Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël². » Ergo totus Christus dicit, id est, caput et corpus in sanctis : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. »

VI. Modo autem quid? « Defluxit terra. » Si defluxit terra, unde defluxit nisi peccatis? Ideo et delicta dicuntur. Delinquere est, tanquam de liquido quodam defluere a stabilitate firmamenti virtutis atque justitiæ. Cupiditate enim inferiorum quisque peccat: sicut roboratur charitate superiorum, sic deficit, et quasi liquescit cupiditate inferiorum. Hunc fluxum rerum in peccatis hominum attendens donator misericors, donator peccatorum, nondum exactor suppliciorum, attendit et ait : « Defluxit terra, et » omnes inhabitantes in ea³. » Ipsa utique terra defluxit in habitantibus se. Expositio est consequens, non additio. Tanquam si diceres : Quomodo defluxit terra? Subtracta sunt fundamenta, et aliquid in ea hiatu quodam demersum est? Quod dico terram, « Omnes inhabitantes in ea. »

¹ Joan. v, 27. — ² Matth. xix, 28. — ³ Psal. LXXIV, 4.

Inveni, inquit, terram peccatricem. Et quid feci? « Ego » confirmavi columnas ejus. » Quas columnas confirmavit? Columnas Apostolos dicit. Sic apostolus Paulus de coapostolis suis : « Qui videbantur, inquit, columnæ esse¹. » Et quid essent illæ columnæ, nisi ab illo firmarentur? Quia quodam terræ motu etiam ipsæ columnæ nutaverunt, in passione Domini omnes Apostoli desperaverunt. Ergo columnæ illæ quæ passione Domini nutaverunt, resurrectione firmatæ sunt. Clamavit initium ædificii per columnas suas, et in eis omnibus columnis architectus ipse clamavit. Columna enim una erat ex illis Paulus apostolus, cum diceret : « An vultis experimentum accipere ejus, qui in » me loquitur Christus²? » Ergo, « Ego, inquit, confirmavi columnas ejus : » resurrexi, ostendi mortem non esse metuendam, ostendi timentibus nec ipsum corpus perire in morientibus. Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices. Posset Dominus Jesus Christus sine ulla cicatrice resurgere : quid enim illi potestati magnum erat, ad tantam integritatem compagem corporis revocare, ut nullum omnino vestigium præteriti vulneris appareret? Habebat potestatem unde illud etiam sine cicatrice sanaret : sed habere voluit unde nutantes columnas firmaret.

VII. Audivimus jam, fratres, quod quotidie non taceatur : audiamus quid clamaverit per columnas has. Tempus audiendi est propter terrorem illum : « Ego justitias judicabo cum accepero tempus. » Ille accepturus est tempus justitias judicandi, vos jam nunc habetis tempus justitias faciendi. Si taceret, non haberetis quid facere : sed confirmatis columnis clamat. Quid clamat? « Dixi iniquis : » Nolite inique facere³ : » Clamat, fratres mei, certe clamatis; delectat vos, audite clamantem. Per ipsum obsecro, terreat vos ista vox : non tam nos vestræ istæ voces

¹ Gal. ii, 9. — ² 2 Cor. xii, 3. — ³ Psal. LXXIV, 5.